



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IX. Contra sectarios Prælatorum iurisdictio ciuilis defenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

bata sanctitatis fuerunt & plures alij virtutib. & scientia clari, sicut Innocentius III. qui tam reuerenter allegatur in tractatu de Missa & alijs operibus. Petrus de Tarantasio dictus Innocentius V. Doctor clarissimus, & multi alij, quos nominare longum esset. Volui solum predictos exprimere, qui sancti intulantiur, alijs multis omisus. Sed hoc vnum nolo omittere, quia ad propositum valde facit, quod narrat Vincentius in historiali libro vigesimo quinto, cap. 25. de Gregorio Sexto, qui magna studia & labores impendit ad recuperandum temporalia bona Ecclesie à tyrannis occupata, & cum nec hortationibus, nec censuris posset hoc efficere, vi armorum hoc fecit, unde Cardinales cum, virum sanguinarium, dicentes: cum infirmitate decumberet, de qua decessit, dicebant eum non debere sepeliri in Ecclesia S. Petri cum alijs Pontificibus, quod cum ipse intellexit, vocauit Cardinales, & habito cum eis colloquio, tandem dixit: Quoniam nostra & vestra cogitationes falsi possunt, committamus omnia diuina examini, corpus meum antecessorum meorum more compositum ante ianuam Ecclesie sistite, & firmentur ianuæ seris & repagulis, si Deus voluerit, ut ingrediar, applaudatis miraculo; sin minus, de cadauere meo faciatis sicut vobis placuerit: sic factum est. Mox enim & corpus eius ante portas Ecclesie seris obclusas positum est, turbo ingens diuinitus emissus, repagulorum obstacula dirupit, & ipsas valuas vehementer impetu patefactas, ad parietem cum magno fragore impulit.

Pontifex & Petro & Constantino successit
Hanc ob causam Bern. l. 4. ad Eug. discipulum de confid. in his successit non Petro, sed Constantino, & lib. 2. Eflo, ut alia quacumq. ratione hæc tibi vindictas, sed non iure Apostolico. Bono iure possideri illa tum hæc docent, tum vero orbis Christiani consensus, quo ea defensa sunt. Romani cum pristina libertatis, & maiestatis intemptiuo desiderio omnia quondam suæ ditionis regna in suam potestatem redigere satagerent, etiam Pontificem in ordinem redigere, omniaq. regalia adimere conati sunt; sed eos Franci & Germani Imperatores, ut etiam Longobardos puniuerunt. Viderunt Pontifici ecclesiam rectore sceptri, & principatus dignitatem esse opportunam. Bono iure sua possidere Pontificem Barretus l. 2. c. 1. docet, quantum alioqui regum adulator. Imo addit, iura antiquiora, æquiora (quod semper spectandum) Deinde posteros Constantini potius accusat, quod deriderint, quam Pontifici ius derogat. Constantinus opes, honoremq. dedit. Carolus restituit; addita alia sunt; Alpes, Cortiæ, Exarchatus, Beneuentana ditio, Sicilia, Tufcia, Liguria, Apulia, Ferraria, aliaque dominia.

Pontificali decor institutio præfidi-um.
§. 10. Tandem concludo Reipublicæ singulari emolumento fieri, ut Episcopis & Sacerdotibus magna iudicandi gubernandique potestas permittatur. Fructus esse debet, ut facilius verbum Dei audiant, audito obtemperant, mores corrigant illi qui emendabiles sunt, contumaces terrentur, si non ab inualido, & contemptibili Sacerdote, sed regio Pontifice mysteria tractentur, doctrina explicetur. Illam Constantinus causam ipse donationis suæ adducit, ut non vilescat Pontificalis apex, sed magis, quam terreni imperij dignitas, gloria, & potentia decoretur.
Non tamen honor ille finis primarius est, sed Reipublicæ salus. Unde enim iudices peritiores, æquiores, pecuniæ minus egentes, minus appetentes munerum, haberi possunt, quam in Episcoporum honoratissimo cætu, in Prelatorum Ecclesie multitudine? Hoc nunc in præcipuis Europæ partibus, Germania, Gallia, Hispania obtinet; imo & in ipsa Britannia, quæ Episcopis in rerum ciuiliu administratione virtut.

CAP V T IX.

Contra sectarios Prelatorum iurisdic-
tio ciuilis defenditur.

§. 1. Legitimam, iustam, vtitatam, vtilem Reipublicæ, ostendi Ecclesiasticorum gubernandi, & juris dicendi potestatem esse. Nunc quia in eam vehementer hæretici insurgunt, illis quoque, ex lege diuina, humana, proba consuetudine respondeamus.

Primum eorum axioma est, Papam, Episcopos omnes, prelatosq. nullam ciuilem administrationem habere posse. Hoc plerique vehementer inelamant, longa disputatione id agit Scharpius quæst. 6. de Antichristo. Cum enim libi objecisset, Ecclesiasticos habere iurisdictionem dono Principum, Responder: Licet controuersum sit antecedens, ut supra dictum, tamen neg, sequi, quia tum acceptatio Pape, tum donatio Principum sunt contra ius Diuinum, ut & etiam contra ius Pontificum: nam in Decretis Canone Dicenti 25. quæst. 11. Pelagius Papa ait Rescripta quæ surreptione, aut falsis precibus impetrantur nullum ius afferre, & in glossa. Clericos qui iis vtuntur, officijs, & beneficijs expoliandos, Laicos vero excommunicandos esse, at Principum rescripta, quibus Papa iurisdictiones obtinuit, erant subreptitia, si non ratione scripturionis & expeditionis, saltem ratione causæ in iis allegatæ, quæ fuit, quod pietas Christiana posceret, ut illis donis & priuilegijs ornarentur Episcopi, expresse contra Dei verbum.

Et paulo post ait non aliter quam per latrocinia Papam acquisiuisse temporalem potestatem. Deinde pergit: Alexander III. Papa rescriptione in capite Vigilanti. Et Innocentius III. Papa in capite, Si diligenti. Et Concilium Lateranense in capite, Quoniam. & in canone, Placuit 16. quæst. 3. Canoniste autem, sicut in male fidei possessore, tempus non tollit obligationem, neg, ius ali-quod acquirit, at bona fide Principatus illos Episcopi non obtinuerunt, qui contra Christi institutum ut supra: recte ergo Bellarm. ius Papæ cum regno per latrocinia acquisito cõparat.

Denique Principes qui Ecclesie bona donarunt, accusat: Principes, inquit, qui Ecclesie donarunt, unde Pastores se alere possunt, laudandi sunt, at qui immensas illas opes tradiderunt, unde sumptuose & otiose viuunt, male fecerunt, quia ita Ecclesiam corruerunt, ideo recte illud: Religio peperit diuitias, sed filia deuorauit matrem: habebant quidem Principes zelum, sed non secundum scientiam, qui vero iurisdictiones temporales contulerunt, impie fecerunt, quia Christi institutionem violarunt, nec Papæ Christi exemplum sequuti sunt, qui quum Iudei illum Regem consituere vellent, fugit: Ioan. 6. 15. Vide Bernard. in libris de consideratione.

§. 2. Hinc facile patet si sententia prædicantium res decidatur, omnem iurisdictionem temporalem Episcopis, & Prelatis auferendam; nam impie donatam, & acceptam arbitrantur, per latrocinia acquisitam, & nunc nullo iure præscriptionis, sed tanquam à male fidei possessoribus, & latronibus iniuste teneri, ideo à Principibus secularibus data occasione eripi omnino posse.

Nec fœdera vlla, aut pacta posse obfistere, vel leges imperij, quia ait esse contra legem diuinam. Hinc clarum est, fieri non posse, ut quamdiu hæresis ista dominatur, pax constituatur, cum altera pars alteram licet donationis, emptionis, præscriptionis iura pratendentem inique possidere, & latrocinio tueri se arbitretur, hinc legum, & iudiciorum omnem vigorem necessaria consequentia extinctum eunt: quicquid enim pro Ecclesiastico quocumque Iudices Camera Imperialis decernunt, id illi impostores contra ius & æquum pro latrone decretum esse affirmant. Si Princeps secularis Episcopi alicujus opes ditionemque inuadat, atque occupet, vindicias à latronibus iure captas pronunciant.

Hæc opinio summam inter status diffidentiam, & bellum a seorsum efficit, quod etsi non semper geratur, semper tamen timetur, & paratur. Nec securus vllus Episcopus esse potest, si suis ministris aliquando credant Principes seculares, quos spe opum Ecclesiasticarum in cades, & exitia patriæ agere

Episcopi ne
gant ius ad
ministran-
da Reip. vñ
eos spolient.

Episcopos &
Papam per
latrocinia
obtinere;
nec præscri-
bere auiunt.

Adulatores
Principum
illis spolia
Ecclesia con-
cedunt.

Hæresis illa
pacem tol-
lit.

Causa dif-
fidentia in-
ter Princi-
pes.

agere furor ministrorum assidue conatur. Subactis vero direptisq; Episcopatibus, fugatis, aut cæsis Episcopis, Pastoribus, Doctoribus libere hæresin suam exultare posse, grassariq; confidunt. Sed errant, & errorem illorum Deus mundo jam dudum ostendit.

Iure naturali regnū, & Sacerdotium non pugnat.

§.3. Certum est, iure naturali sacerdotium & regnum, seu jurisdictionem civilem non pugnare. Nam in lege naturæ iidem & Reges & Sacerdotes erant. Gen. 14. Melchisedec, Moyses Ex. 18. est iudex & Pontifex, & Heli. 1. Reg. 1. Maccabæi Principes fuere & Pontifices. Respondet Scharpius illa tum licuisse, nunc minime, deinde fuisse illa extraordinaria.

Hoc primum nobis omnino satis est, scil. primogenitos simul Principes & Sacerdotes fuisse, duoque illa officia Patriarchas, Prophetas, aliosq; vsurpasse. Alterum falsum est: Nam in lege naturæ ordinariæ fuere Principes iidem, & Sacerdotes. Deinde Maccabæi ordinarii Pontifices, & Principes fuere.

§.4. Deinde. Non est in N. Test. cautum lege aliqua, ne idem Princeps sit, & Episcopus, seu iurisdictionem habeat civilem, & Ecclesiasticam. Nam leges quas in hanc sententiam allegat, nihil pro ea faciunt, & argumenta sunt friuola, quæ perpendere operæ precium fuerit, tantum ut seditiosorum ruditas, & ingenij imbecillitas appareat.

Arg. 1. Quæ Deus separavit & distinxit, illa non sunt ab hominibus confundenda, Matt. 19. 6. at Deus munera ciuilia, & Ecclesiastica, tam sub V. quàm sub N. T. distinxit, personis administrantibus, causis, legibus, penis, &c. (nisi extraordinariæ & certis temporibus) ut 2. Chron. 6. 19. Matth. 18. 15. Ergo in persona vnius hæc simul esse non possunt.

Olim iuncta fuere officia Ecclesiastica & ciuilia.

Respondeo: Matt. 19. 6. scriptum est, Quæ Deus coniunxit, homo non separet: agit autem de matrimonio. Deinde 2. Par. 19. Iosaphat officia templi: & ciuilia distinxit. At vero non est rationi consentaneum, ut quamuis aliquando illa separata sint, ut nunquam coniungi queat. Sunt enim talia, ut pro ratione temporum mutantur, in Moysē, Heli, Samuele, Maccabæis utraq; potestas coniuncta fuit. Quin & Eleazar filius Aaronis Ios. 14. 1. partitur terram filijs Israël, & Iosue filius Num. dare vero terram, ut ibi scribitur, ad secularem pertinet iurisdictionem. Quæ v. species est argumenti: Deus matrimonio conjunctos separari non voluit, non ergo Episcopus potest esse iudex in causa ciuili, aut administrare partem Reipublicæ, ne pagum quidem?

Arg. 2. Quod Christus ipse ad se pertinere negat & recusat, id ad illius successores & ministros pertinere non potest, quia nullus potest esse maior autoritas, quàm Christi, Matt. 10. 2. 4. at negat Christus, iurisdictionem civilem ad se pertinere, Luc. 12. 14. Ioh. 6. 15. & 8. 11. ideo recte Chrys. hom. 42. in Ioh. hoc fecit, ut admoneret de humanarum dignitatum contemptu, & ostenderet se nullis secularibus rebus indigere. Ergo.

Respondeo. Luc. 12. 14. Fugit Christus officium iudicandi, Homo, quæ me constituit iudicem aut diuisorem super vos: Iohan. 6. 15. Fugit cum vellent eum facere Regem. Ioh. 8. 11. querit ex adultera: nemo te condemnauit, & respondenti: nemo. Nec ego, inquit, te condemnabo.

Christus aliqua fecit, & aliqua omisit, quæ nos non obligant.

Sed nihil hæc conficiunt contra iurisdictionem Episcoporum temporalem. Christus enim diuisionem illam rejecit, non quia iudicare non potuit, sed quia legitimam ob causam noluit; nam primo habebant illi suum magistratum: deinde ex illa diuisione Pharisæis calumniandi, magistratui seuiendi occasio dari potuit. Deniq; non venerat ad agellos diuidendos. Quod si hoc factum ita accipitur, ut omnis iurdictio, & ciuile officium ab Episcopo auferatur: non poterunt Ministri Euangelici, vel diuidere agros, vel arbitri esse, aut testes rerum politicarum. Quis enim eos constituit diuises? Fugit Christus regnum, quia honores fugiendos exemplo docuit. Fugerunt reg-

na, & Episcopatus viri multi, sancti, & prudentes: alij tamen eadem sine fraude, sine culpa acceperunt. Si datum exemplum obligat, omnes igitur regno arceat. Fugiendum est enim quod Christus fugit. Nam Donatistæ, Libertini, Anabaptistæ his verbis contra Magistratum vtuntur. Munus enim imperandi in se malum esse ajunt. Atq; vtinam ministri exemplo Christi potius, quàm suis moribus viuere. Christus enim non habuit ubi caput reclinaret, Christus vxorem non duxit, nec tamen hæc tamen & ministris imitorem inuenit. Fugiant igitur possessiones, & vxorem, quia Christus fugit.

Arg. 3. Si regnum Christi non est ex hoc mundo, non circa res huius mundi, tum nec officium Ministrorum debet esse circa res politicas & principatus ciuiles, at prius, Ioh. 19. 36. 1. Cor. 4. 1. 2. Cor. 10. 4. ideo recte Ambrosius, non conuenit vni duplicem habere possessionem: & Lyra in c. 6. Ioh. Christus non acceptauit honorem, dan exemplum fugiendi honores.

Resp. Regnum Christi non erat de hoc mundo, ut mundana potentia, & opibus fulciretur, venerat enim ut non modo regno non vteretur, sed ne possessiones quidem haberet. Non tamen vetuit Christianos habere regna, quamuis Episcopi sint, sicut nec habere possessiones, & possunt circa negotia ciuilia, imò interdum debent occupari, si ita salus Reipubl. & religionis causa postulet. Sane si nobilis, si baro, si comes, si Princeps aut Rex ministerio se Ecclesiastico mancipare vellet, si per impositionem manuum ordinaretur, iure non possent eum iurisdictione, & regno priuare. Cur enim tanta eum pœna dignum arbitrentur, ut se, filiosque, suscipiendo munere prædicantis exueret? Potest igitur Superintendens Calvinianus, aut Lutheranus vtamque jurisdictionem tueri, cur igitur non poterit Catholicus?

Arg. 4. Quod Apostolis vetitum fuit, qui erant primarii post Christum Ecclesie Ministri, id aliis non licet, at principatum exercere Apostolis simpliciter vetitum fuit, Matth. 20. 25. Marc. 10. 43. Luc. 22. 25. ideo recte Tertull. de idololatria. c. 18. Christus gloriam sæculi sibi & suis alienam esse iudicauit, & Bern. 1. 2. de confid. c. 4. Apostolis interdicitur dominatus, ergo tu vsurpare aude, aut Dominus apostolatur, aut Apostolus dominatur, plane ab vtrog. prohibetur: & Cyrillus in Ioh. 1. 3. c. 20. honor & gloria mundi fugienda sunt iis, qui volunt gloriam Dei consequi. Ergo.

Resp. Locum Matth. 20. 25. esse fulcrum, sed ruinolosum hæresis cauillatitici, scitis (ait Dominus) quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, &c. Verum nihil ad rem præsentem: Illis enim verbis durus, & imperiosus dominatus, qualis est hominum sua commoda querentium prohibetur, hoc est enim, natura, & violento premere, hoc est, natura, & violento premere, hoc est, natura, & violento premere, hoc est, natura, & violento premere. Itaque non imperium, sed imperij abusus, violentia & superbia verbis illis reprehenditur.

Obijciunt eundem locum contra magistratum Anabaptistæ, quibus respondet Scharp. Christus enim distinguit ministerium à dominatu ciuili, etiam legitimo, quia non vult ministros dominari in Ecclesia, ut reges in regno. Ad idendum ut reges gentium in regno, ut illo tempore Herodes, Tiberius, alii.

Arg. 5. Christus non mittit Pastores ad aliud munus exercendum, quàm illud ad quod missus fuit à Patre. Ioh. 20. 21. at Christus non fuit missus ad politicum principatum exercendum, ut Bell. concedit supra c. 4. ideo recte Chrysost. hom. 11. in Epistol. ad Ephes. sermonis doctrina nobis commendata est, non potestatis autoritas.

Resp. Pastores à Christo mitti munus spirituale exercendum, nec illa missione ciuile imperium dari: sunt enim distincta imperia, & munia. Non tamen prohiberi, quò minus ad salutem Ecclesiæ, & Reipubl. etiam curam ciuilem suscipiant pastores. Sane perio-

Honores fugiendi sunt omnibus, nisi legitima causa admittantur.

Nobilitas si prædicans fiat, iure suo excludit.

Dominatibus non potestatem exercent in eos, &c. Verum nihil ad rem præsentem.

Apostoli omnia reliquerunt, i. deo nec regna habuerunt.

Quis prædicantem reliquit omnia.

Missio spiritalis ex se non est improhiberi, quò minus ad salutem Ecclesiæ, & Reipubl. etiam curam ciuilem suscipiant pastores. Sane perio-

magistri discipulis constituuntur, vt eorum ingenia explorent, moresque forment, non tamen vetantur etiam eorum causas agere, sanitati, victui, habitationi consulere. Imo id sapè necessarium est.

Quamuis igitur missio ad munia sollicitudinemq; ciuilem non obliget, crebro tamen est vilis ea cura, interdum necessaria, non autem vetita. Nisi quispiam forte Ambrosium reprehendat, dum periculosas legationes pacis causa obit, aut alios Episcopos, suorum salutis inuigilantes condemnet. Quid porro facient Episcopis Germaniæ Lutherani Lutherani, aut Caluiniani in Angliā Caluiniani, qui non modo latè imperant, sed regia etiam officia in aula administrant?

Arg. 6. Si officia necessaria etiam naturalia sunt omittenda, vt officio Ecclesiastico ministri fungantur, tum multo magis debet minister abstinere ab officio & Principatu politico: at prius, Luc. 9. 60. ideo recte Concil. Calcedon. can. 7. vetat ne Episcopus, sub pœna excommunicationis, recipiat seculares honores: & can. 3. ne vilius Clericus suscipiat in se tutelam & curam Orphan.

Resp. Naturalia officia Christum non veruissè: Vocabat discipulum, ille veniam petit sepeliendi patris, idilli negat Christus, sine, inquit, mortuos sepelire mortuos suos, Tu autem vade, annuncia regnum Dei. Dilationem, & inducias ille postulat, & quidem incerti temporis, ad mortem vsq; patris; quid si enim pater vitam non in longum modo tempus, sed etiam vltra filij annos produceret? Hæc tarda molimina Christus abscondit. Nec enim pater mortuus erat, sicut nec illi mortui, qui mortuos sepulchro mandaturi erant, sed mortui fortasse, quia vitam gratiæ amiserant. Ita sane Beza interpretatur. Vera videlicet vita expertes, & doctrina de vita æterna contumaciter resistentes. Quod si hæc sententia Christi Domini iubet ministros Ecclesiæ ab omni naturali officio abstinere, adeo vt nec parentum funeri interesse possint, quis excusare tentabit prædicantes, qui parentes funerant, hereditatem adeunt, cum alijs sapè litigio & iure diuidunt? Imo matrimonia ineunt, alijsq; procurant, filias nuptui dant, filijs vxorem deducunt domum. An non sunt ista secularia?

Arg. 7. adducit exemplum de militibus, qui se non implicant negocijs secularibus; An nescit hæc eo vsq; noxia, dum impediunt spiritalia, alioqui vtilia & diuina esse? Ciuilia negotia viro spiritali ad gloriam Dei possunt spiritaliter agi. Certe August. non modo causas iudicauit, sed id moris esse significat. Epi. 147. Et homines quidem causas suas seculares apud nos finire cupientes, quādo eis necessarij fuerimus sic nos sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: aliquando agamus & nos negotium salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis & pecoribus, pro quibus rebus quotidie submisso capite salutemur, vt dissensiones hominum terminemus, sed de ipso capite nostro tam turpis inter nos, & pernitiosa dissensio est.

Verum hæc ita tractanda sunt, vt secundaria, atq; vt spiritalia non impediunt. Sanctum esse, atq; vtilissimum opus Reipubl. causas, controuersiasq; audire, & finire, nemo est, qui non intelligat, nisi adeo contentiosus sit, vt discordijs, litibusque delectetur.

Arg. 8. Qui totus debet esse in lectione & predicatione, tempestiue, intempestiue, vt posuit animarum rationem reddere, is non debet præter officium Ecclesiasticum, etiam ciuile exercere; at, talis debet esse Minister Dei, Rom. 12. 17. 1. Tim. 4. 15. 2. Timoth. 4. 2. ideo recte Carthag. Concil. 4. c. iubet Episcopum attendere solum predicationi, lectioni, precationi: & Canones Apostolorum iubent, excommunicari Episcopum, qui secularibus rebus se implicat.

Resp. Apostolus inquit, hæc meditare, in his esto. Et, prædica verbum, &c. Episcopis omnibus hæc dicta. Verum ita, vt nec hospitalitatem, nec alia omittant. Pos-

sunt vero ista præstare, & hæc non omittere. Nonne potuit Dauid in lege Domini meditari die ac nocte, & tamen bella gerere, regnum administrare, vicinas gentes subigere? Nonne multi sancti Reges id egerunt, quamuis multis, maximisq; regnis imperarent? Cur igitur Episcopus aliquis diuinculam administrare nequeat, & simul animarum salutis inuigilare? Tria regna magnæ Britanniæ Rex in vnum corpus redacta administrat, & est tamen caput Ecclesiæ, cur non Episcopus Cantabrigiæ aliquot oppida curare possit? Nec queri hac de re ministri possunt, qui domesticis publicisq; reb. impliciti meditationi rerum diuinarum minimam temporis partem assignant.

Arg. 9. Si Apostoli, qui multis Ecclesiæ ministris, donis inferiores non fuerunt, non poterant, duo Ecclesiastica munera exercere, inter quæ maior est assinitas, quam inter Politicum & Ecclesiasticum, tum multo minus possunt alij ministri principatum ciuilem & Ecclesiasticum administrare, at prius, Act. 6. 2. & 4. ergo.

Resp. Apostolos inter magistratus Iudæorum, & gentium versantes nullam jurisdictionem ab illis accepisse: Potuisse tamen eos iudicare. Imo Paulus Apostolus quod plus est, quam iudicare, nouum tribunal erexit. 1. Cor. 6. 4. Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesiā, illos constituite ad iudicandum. Ecce ipse in scio Cæsare, in media Ecclesiā iudices rerum secularium constituit. Si sine jurisdictione, cur id fecit? si cum jurisdictione, potestatem igitur habuit hoc imperandi. Duo igitur munia illa ab vno possunt exerceri: cur igitur vnus Pastor minimi pagi, non posset eundem & ciuilem & spiritalem jurisdictionem regere, cum vnus Rex tot regna administrat?

Ad argumentum 10. & 11. jam responsum, cura pastorum spiritalis tantum spiritalia, ciuilia etiam ciuilia officia exercet.

Argumentum 12. Si nemo est idoneus ad solum munus spirituale exercendum, tum qui ad illud est vocatus, non debet aliud ciuile exercere: at prius, 2. Cor. 16. Ergo.

Respondeo. Nemo plane civile imperium nisi vocatus administrat, quicunq; enim Episcopi secularia suarum dioceseon negotia tractant, ad hoc legitima electione vocantur.

Arg. 13. Si licet ministerio exercere Principatum politicum, tum licet politico Magistratus fungi officio Ecclesiastico, quia horum par est ratio: at consequens est absurdum, vt ex Scriptura patet: nam qui hoc sibi arrogarunt, grauius a Deo puniti fuerunt, vt in exemplo Ozia Regis, & aliorum videre est, ergo.

Resp. Longe diuersam esse rationem: Quia multo eminentior est sacra, quam ciuilis potestas. Deinde legitimo sensu hoc concedi potest. Quemadmodum Episcopus ciuitatem politice regere potest, si hoc ei regimen offeratur, ita Princeps si sacris initiis potest secularem jurisdictionem retinere. Non enim certis familijs Sacerdotum Christianum continetur, quemadmodum Leuiticum, itaque ad hanc rem nihil facit Ozia Regis exemplum.

Ad arg. 14. responsum est. Episcopos enim ex vocatione, & officio non sunt iudices rerum secularium, aut Reipublicæ rectores, sed donatione & vocatu Principum, quamuis Ecclesiā iussu Episcoporum suam habeat in iudicijs constituendis quandam libertatem, vt ex S. Paulo docui. In prima vero Ecclesiā Principes non fautores, aut patroni, sed carnifices erant Episcoporum, nec dignitate illi eminebant, sed in speluncis & cauernis terræ delitescabant.

Hæc ille non modo contra Catholicos, sed Lutheranos & Caluinianos, qui varijs locis Episcopali titulo, & potestate tam seculari, quam spiritali, sed magis seculari vtuntur. Obijciunt alij multos abuti opibus Ecclesiæ. Verum est, sed abusus ad vitia hominum pertinet, non autem ad ordinis confusionem. Multi

Paulus tribunalis constituit.

Princeps ordinari potest, nec ideo principatum amittet.

Abusus opii
est etiam in
secularibus

Scharpius
Mennonitae.

Magistra-
tus politici
auctoritate
solvunt.

Pradican-
tes omnia
iudicia tol-
lunt.

Omnis lex
obligat.

Magistra-
tus loco Dei
imperat.

Si consien-
tia nulla sit,
penam sa-
cile eludunt
aut susti-
nent.

Multi diuitum lasciuunt in luxurijs suis, non ta-
men ideo rerum suarum Domini esse desinunt. Sic i-
pse Scharpius de magistratu, q. 1. obj. 7. argumentum
Anabaptisticum proponit. Multi Principes abutuntur
potentia, & pauci fuerunt boni. Respondet: Est captio ab
Accidente, quia vitia personae non vitiant officium, simile est,
Iudas fuit malus, ergo Apostolicum officium reiiciendum. Ne-
gatur sequi, Deinde plures fuerunt boni reges.

Idem plane sibi responsum putent qui res ipsas
propter abulum sublatas cupiunt.

§. 6. Alterum Sectariorum axioma est. Leges ci-
uiles, seu leges magistratum non obligare in consien-
tia, ita de Magistratu Scharpius quaest. 2.

Hinc consequitur primo. Ex sententia aduersario-
rum omnem vim legum, auctoritatemq; magistratus
eneruari, atq; abjici. Si enim conscientiam leges ci-
uiles non constringunt, ergo nec imperium magistratu-
rum. Nam legem ita ita definit Scharp. q. 1. Lex nihil al-
iud, quam regis iussio. Si igitur praecipua iussio, quae fe-
rendis legibus constat, non obligat conscientias sub-
ditorum, multo minus alia, quae minore studio, so-
lennitate, curaq; promulgantur. Secundo. Hinc ori-
ginem videmus conturbatae pacis in Germania. Post-
quam enim sine crimine leges ciuiles migrare se posse
audierunt homines, quos ante leges vix regebant,
quicquid moliri contra leges potuerunt, id licitum
duxerunt; hinc contemni edicta Caesarea, eludi iudi-
cium Camerae, vexari leges omnes, sententiaq; iudi-
cium, si enim conscientiam non obligat legislator,
nec metus vindictae incumbit, cur pareant illi legib.
quibus id damnosum est? Huic igitur sententiae dis-
cordias, & clades tribunalium debemus, hinc tot ex-
orta lites, & causarum penditium ac revidendarum
rixosa immortalitas.

Quam vero illi perniciose, grauiterq; errent, mul-
ta nos docent. Nam legis communis est ratio, vt ob-
liget, non modo ad penam, sed etiam ad culpam, nisi
speciatim id excipiat. Nec rationem eleuat Schar-
pius, cum ait, Ius in conscientiam habere neminem, nisi so-
lum Deum. Quia ius hoc in conscientiam a lege Dei di-
manat, si enim magistratus vicarius est Dei, ergo loco
Dei imperat, obediendum est igitur tanquam a Deo
misso, ideoq; peccant, qui illi repugnant. Deinde q. 2.
licet, inquit Scharpius, pauci familias liberos, & seruos
disciplina regere, castigare, praemijs afficere, ergo &
magistratui, qui est pater Reipublicae. Conclude am-
plius, ergo & obtemperandum est subditis, sicut filijs.
Inter grauiora enim peccata filiorum refertur parenti-
bus non obedire. Hinc idem Scharp. q. 1. Magistratus
dicuntur Dii, quia a Deo instituti Dei locum tenent Iosue 1. o.
v. 35. & qui magistratum reiiciunt. 1. Sam. 6. 7. ergo. Offi-
cium cuius leges praescribit Deus, est a Deo: at magistratus le-
ges praescribit Deut. 17. & alibi, ergo.

Qui dantur & mittuntur a Deo, vt serui Dei etiam propter
bonum Ecclesiae, illorum officium est bonum, & inter Christi-
anos tolerandum. At Magistratus sunt tales, E. vide Prou. 8. 15.
Is. 10. 5. & 45. 1. Ier. 27. 6. Ez. 29. 20. Dan. 2. 34. & alibi, ergo.

Et deinceps praecipitur in N. T. vt magistratui nos subiti-
ciamus, vel Ethnicis Matth. 22. 21. Rom. 13. 1. & seq. Tit. 3.
1. Per. 2. 13. Ergo multo magis licet subesse magistratui Christi-
ano, & si licet subesse magis quia praesse, ergo subesse magis con-
trariatur libertati Christianae quam praesse, & autem Deus
praecipit, est bonum, & inter Christianos tolerandum, ergo.

Cum autem lex sit iussio magistratus omnino ob-
ligat, quamuis sit de re alioquin indifferente. Exem-
plo sit lex Anglicana, Ne die mercurii carne vescantur in-
cola. si non potest ad hoc obligare conscientias Rex,
clam igitur omnibus liberum est, quemadmodum
ante legem, vesci carnibus, nec quicquam juris in a-
nimis Rex obtinet.

Non est dissimulanda Satanar in subuertendo or-
dine, & disciplina consilium. Initio turbatum, Prae-

latorum Ecclesiae auctoritatem, potestatemque, &
leges disputando conuellerant, Magistratum politi-
cum tueri se profitebantur, imo multum etiam juris
in Ecclesiam vltro largiebantur. At vero vbi Ecclesi-
asticas leges vi, arte, vitijsq; opprefferunt, Politicas
aggrediuntur, earumque neruos dissolunt. Minus
enim illis, quam Ecclesiasticis tribuunt. Sic enim
Scharp. q. 2. Si leges Ecclesiasticae non obligant conscientiam
extra casum scandalis, & contemptum, tum multo minus ci-
uiles. Ecce tibi, leges ciuiles infra Ecclesiasticas po-
nunt, quid aliud superest, quam vt quemadmodum
Canones Luther. in cinerem redegit, ita quoq; Pan-
dectas, Codicem, omnes Nouellas, omnia Germani-
ae iura totam Cameram, atq; adeo iustitiam ipsam
exurant?

Tertium axioma est; Licere magistratus ipsos oc-
cidere. De quo errore in libro de Syncretismo actum
est a me, sed a quodam anonymo quaedam sparsa in-
tellexi, de quib. alibi breuiter lector instruendus est.

CAPVT X.

Vita Ecclesiasticorum laudabilis com- mendata.

§. 1. **M**Ores Sacerdotum ad Reipubl. salutem, vel **Mores Sa-**
euerfionem valere, omnis aetas docuit. Ex-
empla enim potentum in vulgus manant, exempla fa-
cerdotum pererrant. Qualis sacerdos talis popu-
lus, quin imo vulgus Deum talem arbitrat, quales
vidit illius ministros. Deos adulteros, homicidas,
fures, perjuros antiquitas finxit, vt caelestium exem-
plo sua scelera excusaret, inde in theatro spurcitia, in
circo furoribus, in amphitheatro crudelitate, vbiq;
scelerib. colebantur. Daemonum asseclae, & ministri
ipfos Deos suos proxime moribus exprimebant. Orbi
quidem vniuerso sacra exempla debent Sacerdotes,
Deo autem omnia, tanto impensius, quanto arctius
illi conjunguntur.

Hoc nos iura nostra docent caus. 2. q. 7. can. 41. Nos
si competenter aliquid egimus, & subditis iusta legis tramitem **Error Sa-**
non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta vo-
luntus emendare iudicio: quoniam si nos, qui aliena debemus **cedotum po-**
corrigere peccata, peiora committimus; certe non veritatis di-
scipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus praeter ceteros erroris **puli permi-**
magistri; Inde magnitudinis vestrae magnopere clementiam **ties.**
imploramus, vt tales ad haec, quae diximus, perquirenda Missos
in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & can-
ctis (quemadmodum si vestra praesens fuisset imperialis gloria)
diligenter exquirant; & non tantum hac sola, quae superius di-
ximus, quaerimus, vt examini sum examinent: sed siue minora,
siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum
cuncta legitimo terminentur examine: quatenus imposterum
nihil sit, quod ex eis indiscussum, vel indefinitum maneat.

§. 2. Cum igitur omnes causae cur bene viuendum
sit, in Clericis conueniant, illis tamen illa, quae ad ex-
empla pertinet, est peculiarissima. Nam cum in alto
loco sint, cum arctiore disciplina viuant, cum primo
motori immobili propinquius haeant; conspectio-
ra sunt eorum errata, magis defleunt, & efficacius
omnia conturbant. Nec tamen ita famam vereri de-
bent, vt etiam conuitia, & calumnias vitare se possent
confidant. Recte hac de re nos canones instruunt.
caus. 11. q. 3. can. 55. Inter verba laudantium, siue vituperan-
tium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non inue-
nitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam gene-
rare debet: & rursum si in ea non inuenitur malum, quod de
nobis homines loquuntur, in magnam debemus letitiam prosi-
lire: Quid enim, si homines laudent, & conscientia nos accuset? **Inter lau-**
aut quae debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola consien- **dantes, &**
tia liberos nos esse demonstret? Habemus Paulum dicentem **reprehen-**
(gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae) Iob quo- **dentes sola**
que dicit. Ecce in caelo testis meus. Si ergo est nobis testis in caelo, **conscientia**
testis **iudex est.**

Dissoluen-
da Reipubl.
initium a
prelatis, si-
nus in prin-
cipib.

Mores Sa-
cerdotum po-
puli permi-
ties.

Error Sa-
cerdotum po-
puli permi-
ties.

Vitia Cl-
ricorum po-
tentius con-
moneant.

Inter lau-
dantes, &
reprehen-
dentes sola
conscientia
iudex est.